

cit.» Unde si id quod absolutum est in sua linea et ordine ita crescat quod perveniat ad infinitum, repugnat quod dividatur, et multiplicetur, quia omnem perfectionem trahit, et dicit in ordine ad se, non in ordine ad alterum, unde si multiplicatur in ratione absoluti, est quia id quod est in uno, non est in altero; et sic non omnem perfectionem illius generis habet. Perfectio autem relativa cum sit ex propria ratione ad alterum, si infinita est, petit necessario duo infinita in genere correlativi, cum unitate in ratione perfectionis in esse.

XIV. Ex quo manet secunda responsio expuncta, quia licet subsistentia absoluta, et relativa sint ipsamet natura Dei, tamen una ex sua infinita perfectione, seu propria ratione exigit in se adunare omnem perfectionem illius generis, nec eam dividere potest nisi per negationem aliquam limitativam: alia autem, scilicet relativa, exigit ex suo genere, et propria ratione explicari in ordine ad alterum, et sic multiplicari et non manere unum, si genus relativum salvatur, unde crescente infinitate, et perfectione in relatione, tanto magis exigit istam distinctionem in ipsa oppositione relativa, manente unitate in omni perfectione absoluta. Si vero ipsa absoluta subsistentia in ratione absoluti divideretur, ipsa quoque natura, et non solum ratio personæ divideretur, quia si quæcumque perfectio, vel ratio absoluta dividi potest non obstante infinitate in suo ordine, eadem ratione poterit quælibet perfectio naturæ non obstante sua infinitate sic dividi.

XV. Ad primam confirmationem respondetur ibi tangi difficultatem valde controversam de constitutione Personæ Patris pro illo signo quo intelligitur Persona, ex qua debet oriri generatio, de quo infra circa

quæstionem XL, agendum est. Pro nunc negamus consequentiam.

Et ad primam probationem dicitur, quod essentia habet vim complectendi omnes Personas eo modo quo sunt, et secundum omnia quæ exigunt; sunt autem Personæ procedentes, quia una est Pater, alia Filius, et Filius essentialiter est procedens a Patre, nec alio modo possunt istæ relationes fundari et multiplicari in divinis, quam secundum originem. Unde quia essentia divina complectitur istas relationes, non quomodocumque, sed ut fundatas sic, et includentes suas processiones et origines, non includit illas ut æque immediatas aut disparatas inter se, sed ut ordine quodam originatas.

Ad secundam probationem dicitur, quod Persona Filii cointelligitur simul Personæ Patris cum omni similitudine naturæ, temporis, et cognitionis, sed cum ordine originis, quia Filius est, et ut Filius a Patre est; et ideo non convenit filiatio divinæ essentiæ, ita immediate, sicut paternitas, si immediatio opponatur ordini originis, bene tamen æque immediate quoad communicationem, et identitatem naturæ; et ideo licet in ratione proprietatis subsistentis paternitas sine fundamento generationis conveniat Deo, quia hoc fundamentum solum exigitur ad exercitium relationis, non ad constitutionem Personæ in ratione principii generantis, licet ibi radicaliter sit totum exercitium relationis, quia non constituitur ut ad se, et ut maneat, et sistat sibi, sed ut respiciat alterum, tamen Persona Filii, etiam ut constituens Personam secundam, et genitam, præsupponit ordinem originis passivæ, quia illa relatio, et proprietas subsistens Filii non constituit Personam quomodocumque, sed Personam secundam natam, et originatam, quæ est

proprietas characteristicam hujus Personæ, sicut proprietas Patris constituit primam Personam in ratione primæ, et principii generantis. Unde ex suo proprio caractere potest constituere Personam Patris antecederet ad originem, seu generationem activam formaliter, et explicite, quia licet in illa fundetur explicite, et formalis tendentia ad Filium, non tamen fundatur radix talis generationis: pertinet autem ad propriam rationem Patris non solum constituere respectum explicitum, et formaliter, sed etiam radicalem ad Filium, id est, ipsam rationem principii. Filiatio autem cum debeat constituere Personam secundam, quæ est Persona nata, et præsupponens primam, non potest constituere illam ut radicaliter secundam, seu radicem, et principium secundæ: hoc enim est prima, quæ illam generat, sed solum debet constituere, ut formaliter secundam, atque adeo ut natam, et originatam; et sic supponere debet originem passivam, etiam ad constitutionem Personæ, ut Persona secunda est, et nata seu originata.

XVI. Ad secundam confirmationem, quod dato illo impossibili relationes æqualitatis, et similitudinis vel non essent reales secundum sententiam S. Thomæ infra q. XLII, art. I ad IV, quia æqualitas illa Personarum cum sit omnimoda, fundatur in identitate naturæ, et perfectionum, quæ omnibus sunt communes, et indivisæ, et super fundamentum omnimodæ identitatis non fundatur realis relatio; vel si reales relationes essent primo distinctivæ, et constitutivæ Personarum, quia supponunt illas constitutas. Unde si non supponerentur Personæ constitutæ istis relationibus æqualitatis, vel similitudinis primo, et per se non possent constitui vel distingui, quia ta-

lis æqualitas, vel similitudo immediate fundaretur in omnimoda unitate, et identitate essentiæ, et consubstantialitate illius, nec supponeret aliquas relationes, seu proprietates personales, de quibus diceretur quod essent æquales, unde manifestum est quod solum posset esse relatio rationis, quia non fundatur in diversitate extremorum habentium convenientiam in natura, aut perfectione, sed in omnimoda identitate. Et quia in relationibus per se non fundantur aliæ relationes reales æqualitatis vel inæqualitatis, alias esset processus in infinitum, cum rursus illæ relationes similitudinis similes essent, etc. At denique si immediate in natura fundarentur relationes reales æqualitatis, vel similitudinis, non supponentes Personas constitutas, non esset principium ad determinandas certas relationes æqualitatis, vel similitudinis, sed essent infinitæ.

XVII. Ad id vero quod dicitur de incommunicabilitate, quod convenit subsistentiæ per se, et ratione sui, et non ratione processione, dico quod convenit per se subsistentiæ, ut dicenti oppositionem cum aliquo termino cui incommunicabilis est. Subsistentia autem divina ut sit incommunicabilis Personæ creatæ, sufficit extraneitas Personæ, et naturæ, cui ex ipsa extraneitate incommunicabilis est et opposita, sicut increatum creato; imo et subsistentia absoluta si in Deo datur (de quo infra) hoc modo etiam incommunicabilis est Personæ creatæ, quia terminus est incommunicabilis substantiæ illi extraneæ. Ut autem subsistentia divina alteri divinæ subsistentiæ sit incommunicabilis opposita illi esse debet, nec datur oppositio realis in Deo nisi relativa, nec ista nisi fundata in processione, ut ostensum est.

RECTE PROBAT D. THOMAS DARI PRO-
CESSIONEM AD INTRA IN DEO.

XVIII. Ad probandum dari intra Deum processionem realem, duo præsupponit D. Thomas.

Primum est, processionem attendi secundum aliquam actionem, et hanc esse in Deo per intellectum, et voluntatem.

Secundum est, quod sicut secundum actionem quæ tendit in exteriorum materiam, est aliqua processio ad extra, ita secundum actionem quæ manet in agente, attenditur processio quædam ad intra, ut maxime patet in intellectu, in quo actio ejus, quæ est intelligere, manet in agente, et ex eo quod quis intelligit, procedit conceptio intra intelligentem. Quod autem etiam in voluntate procedat aliquid per amorem, infra articulo tertio ostenditur.

Ex his duobus præsuppositis assurgit S. Thomas ad probandum dari processionem ad intra in ipso Deo non est intelligenda modo corporali et sensibili, nec secundum modum inferiorum creaturarum, sed secundum perfectissimam processionem, qualis invenitur in supremis creaturis, et adhuc ista similitudo deficit a perfectione divinorum: est ergo accipienda processio in Deo secundum emanationem intelligibilem, sicut verbum manet in intelligente. Et sic datur in Deo processio secundum finem. Quod vero ista processio intelligibilis perfectionem dicat de se, sine ulla imperfectione, valde subtiliter insinuavit S. Thomas et probavit unico verbo, quia scilicet convenit intelligenti cuiusque ex eo quod intelligit, non quia omnis intelligens semper producat verbum, quia aliquando id po-

test suppleri vel supponi, sed quia quicumque intelligens illud producit, ex eo quod intelligit, producit, si quidem manifestare, et exprimere conceptum ex vi, et perfectione intelligendi provenit, dicente Domino: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Et sic ad divinitatem transferri debet ista perfectio, si transfertur intelligere; qua ratione dixit Cyrillus lib. II thesauri, c. 1: « Non potest esse perfecta deitas nisi Filium habeat, et fructum ex se proferat. »

XIX. Circa hunc discursum D. Thomæ dubitari potest, et de præsuppositis, quæ supponit, et de ipsa ratione in se quantum valeat. Et quidem primum præsuppositum, scilicet quod processio attendi debet secundum aliquam actionem, sequenti articulo tractandum est, quia non clare apparet quomodo attendi debet processio secundum aliquam actionem, an videlicet ipsa processio sit ipsamet actio, an solum secundum actionem attendi, et mensurari debeat, et an sit formaliter ipsa vitalis actio amoris et intellectionis, an aliquid aliud. Secundum autem præsuppositum probatur in præsentia D. Thomæ exemplo intellectus, ubi præcipue apparet processio immanens, et interior, quia quicumque intelligit ex hoc ipso quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, etc. Quæ propositio ita universaliter sumpta de quocumque intelligente videtur habere plures instantias, quas sæpius solvimus, ut in libris de anima, q. VI, et præcedenti tomo, disp. XIII, articulo ultimo, negantes formationem verbi in beatis. Summa instantiarum est, quia actus intelligendi non est actio productiva, sed qualitas, qua afficitur intellectus ut formaliter reddatur intelligens, unde philosophus in III de Anima, dicit, quod: « Intelligere est quoddam pati, » et D. Thomas dicit infra qu-

XXXIV, art. I ad III, quod: « Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro. » Non ergo intelligens ex eo quod intelligit, agit, vel aliquid procedit intra ipsum, sed solum informatur in genere intelligibili.

Instatur secundo, quia non omnis qui intelligit, ex eo quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, nam Spiritus sanctus intelligit, et Filius intelligit, et essentia divina intelligit, seu: Hic Deus absolute sumptus, et tamen ex hoc intelligere nihil procedit. Et in nostra sententia beati in visione gloriæ intelligunt, et ex hoc intelligere non formatur verbum: et nos postquam verbum, seu conceptum formavimus, intelligimus contemplando in verbo formato, et tunc non producimus verbum, quia jam productum est. Quomodo ergo verificatur quod quicumque intelligens, ex eo quod intelligit, procedit aliquid in ipso?

XX. Deinde datis et admissis his præsuppositis, restat ponderare quantum valeat discursus S. Thomæ inferens ex illis dari in Deo processionem ad intra. Et intendit D. Thomas probare duo.

Primum est, tales processionem dari in Deo, quoad hoc quod Personæ, seu res procedentes sint distinctæ discursu supra posito.

Secundum, quod Persona procedens maneat consubstantialis, et ejusdem naturæ cum suo principio: hoc enim in solutione ad secundum exprimit D. Thomas, dum dicit quod id quod procedit ad intra processionem intelligibili, non oportet esse diversum, sed tanto magis est unum quanto perfectius procedit, quia conceptio intellectualis tanto magis est intima intelligenti, quanto aliquid perfectius intelligitur. Unde cum

divinum intelligere sit infinite perfectum, necesse est quod Verbum divinum sit perfecte unum cum eo a quo procedit.

XXI. Cæterum in hoc discursu neutrum videtur D. Thomas plene, et efficaciter probasse. Nam quod attinet ad distinctionem rei procedentis a suo principio propter quam ponitur processio realis in Deo, non convincitur eam dari ex eo quod quicumque intelligens, ex eo quod intelligit aliquid procedit ab ipso quod dicitur conceptio. Nam in intelligente tunc procedit conceptio intra ipsum, quando non supponitur objectum intellectum, et conceptum, seu repræsentatum formaliter, et per modum termini intellecti. Si ergo supponatur, non procedit: in Deo autem supponitur objectum intellectum, et conceptum, quia objectum est essentia divina; hæc autem ex propria ratione actus puri in genere intelligibili nihil potentialitatis habet; et sic non solum est intelligibilis in actu primo, sed etiam intellecta in actu secundo ex se: non ergo in tali natura procedit conceptio, seu verbum, si quidem ibi intelligitur objectum quod ex se est in ratione actus puri in esse intelligibili, et ante omnem processionem est intellectum in actu, atque adeo per conceptionem, seu verbum non redditur intellectum.

Si dicas non ad hoc poni Verbum in divinis, ut per illud reddatur essentia Dei intellecta, nec Patrem esse sapientem sapientia genita, sed potius ex eo quod intellecta est essentia in actu perfecto produci Verbum tamquam imaginem, et manifestationem seu splendorem istius gloriæ, non ut per illud reddatur intelligens Pater, vel intellecta essentia, contra est, quia hoc modo probat D. Thomas processionem in Deo ex aliqua processionem creatam, et naturali sub ea ratione, qua omnino re-

pugnat in Deo esse; et sic processio ista in intellectu, quam adducit D. Thomas nihil omnino servit ad probandam processionem in Deo. Antecedens probatur, nam D. Thomas intendit talem processionem probare in Deo, quæ importet Verbum ut Personam distinctam a suo principio: ergo id debet probare ex processione postulante Verbum distinctum a suo principio. Sed processio quæ in nobis ponit verbum distinctum ab objecto, seu specie intelligibili omnino repugnat Deo: ergo non potest inferre processionem quæ petat Verbum distinctum a suo principio in Deo. Minor patet, quia ideo verbum in nobis distinguitur a specie, et objecto quod exprimit, quia non habet illud objectum in se totam actualitatem, seu totum esse intelligibile in actu secundo per modum intellecti, et expressi, hoc autem repugnat Deo, cum ex se, et ante omnem processionem notionalem sit intelligibilis in actu ultimo, et puro: ergo ex processione Verbi, ut distincti ab eo a quo procedit, et exprimitur, incongrue assurgimus ad ponendum in Deo processionem Verbi ut distincti a suo principio. Quod si alio modo procedit Verbum distinctum in Deo, quam in nobis, ille modus est latens, nec probatur ex processione qua in nobis verbum procedit; et sic oportebit ad aliam rationem recurrere, et istam D. Thomæ omittere.

Et confirmatur, quia D. Thomas vult manuducere nos ad processionem internam, et immanentem Dei ex processione, quæ invenitur in supremis creaturis, scilicet intellectualibus. In his autem solum invenitur processio verbi, quando procedunt cum imperfectione, et indigentia, quia scilicet necesse habent exprimere in actu secundo id, quod solum in actu primo est in specie; et sic videmus quod creaturæ non semper

producunt verbum, sed quando intervenit aliqua imperfectio, in visione autem beatifica nos admittimus quod non producitur: ergo non probat D. Thomas dari in Deo processionem ex intelligere nostro perfecto, sed ex imperfecto, quia quando intelligere nostrum est perfectum non procedit verbum in nobis. Cum ergo in Deo solum sit intelligere perfectum, ex ista ratione non ostenditur dari processio in Deo, sed magis non dari.

XXII. Quod vero attinet ad consubstantialitatem Verbi procedentis cum suo principio, aut non probatur a D. Thoma, aut si probat aliquid, destruit probationem prioris, et principalis intenti, scilicet quod Verbum procedat ut distinctum personaliter, et notionaliter a suo principio.

Probatur, quia si est de ratione cognitionis infinitæ, quod id quod procedit sit summe unum, et consequenter unum in substantia cum suo principio: ergo non erit de ratione talis cognitionis infinitæ quod id quod procedit ex vi sua sit diversum in persona: ergo ratio qua D. Thomas intendit probare consubstantialitatem Filii ex infinitate cognitionis, destruit eam, qua probat diversitatem Personæ.

Prima consequentia probatur, quia verbum ad hoc ponitur ut sit imago intelligibilis repræsentans objectum, et vicem illius supplens, et consequenter ut faciens unum repræsentative cum objecto: ergo si de ratione talis infinitæ cognitionis est facere unum in substantia, quomodo de ratione ejus erit fundare distinctionem talis Verbi procedentis a suo principio in ratione Verbi, et quod ex vi talis processionis unum sit?

Confirmatur, quia licet cognitio divina essentialis illam summam et substantialem unitatem petat in-

ter intelligentem, et objectum, tamen ex hoc non probat D. Thomas quod cognitio notionalis, et productiva Verbi ex vi sua habeat inducere consubstantialitatem ejus cum suo principio, sed solum relativam oppositionem, et diversitatem. Nam in Deo intelligere non habet summam unitatem inter objectum, et intellectum in vi conceptionis, et Verbi procedentis: nec enim personalitas, et relatio in Deo est ratio illius unitatis substantialis: ergo ex vi processionis talis conceptus, non inducitur illa unitas summa, sed supponitur ex vi essentialis cognitionis. Et sic processio Verbi non formaliter, sed solum identice habebit consubstantialitatem cum Patre, sicut etiam habet Spiritus sanctus, quod est tollere ab illo rationem formalem Filii. In summa, probatio ista D. Thomæ æquivocat inter cognitionem essentialem, et notionalem Dei. Quia unitas illa summa, et consubstantialitas provenit quidem, et datur in Deo ex ipsa absoluta, et essentiali ratione intelligibilitatis divinæ, quæ cum sit infinita, est summe, et substantialiter unum intelligens, et intellectum. Cæterum notionalis cognitio, quæ est productiva Verbi ex vi sua solum fundat diversitatem, et oppositionem relativam inter procedens, et principium suum. Quod vero detur summa unitas inter tale Verbum procedens, et suum principium a quo procedit in substantia cum diversitate in subsistentia, hoc ex vi talis processionis non probatur, quia tale Verbum procedens non est ratio illius cognitionis, qua Pater cognoscit, et consequenter neque est ratio unionis seu unitatis illius consubstantialis inter ipsum, et Patrem in essentia, aut si est ratio illius summæ unitatis, cum illa unitas consubstantialis sit, non erit ratio oppositionis, et distinctionis relativæ ut re-

lativa est: nec enim ex eodem principio oritur unitas in substantia, et oppositio, seu distinctio in relationibus.

XXIII. Propter hæc multi tenent hanc rationem, et discursum S. Thomæ efficacem non esse, sed solum exemplo quondam ducto ex his, quæ in nobis experimur in intelligendo, voluisse manuducere ad hoc ut in Deo processionem ad intra adstrueremus. Cæterum, hoc mihi videtur minus perspicaciter dictum, et magnum sequi inconveniens si hæc ratio S. Thomæ, quæ in defensionem fidei catholicæ contra Arianos validissima est, efficacia destituitur, et solum ad quamdam congruentiam, eamque non valde urgentem redigitur. Nec enim intentum sancti doctoris est probare efficaciter quod in Deo dentur processionem ad intra cum distinctione Personarum: id enim sola fide tenetur, et ex Scriptura probatum reliquit S. Thomas: *Ego ex Deo processi, et veni*, Joan. viii. Sed quia Arius dicebat processionem non esse ad intra in Deo, quia hæc impossibilis est, quia sine divisione naturæ, non poterat ab ipso intelligi. Unde, ex hac impossibilitate ductus locutiones Scripturæ de processione intelligi debere de processione ad extra, fit necessario, quod, ut fides catholica ocludat Ario hoc effugium, efficaciter debeat probare contra ipsum non repugnare, nec esse impossibilem processionem ad intra in Deo. Et hoc solum potest efficaciter probari hac ratione D. Thomæ, quia talis processio nullam dicit imperfectionem, quia competit naturæ intelligenti, ex eo quod intelligens est, ut in nobis videmus, esse autem intelligentem nulla imperfectio est: ergo. Dicendum ergo est rationem D. Thomæ efficacem esse quantum ad intentum hujus articuli, in quo non intendit sanctus